DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS


DE

ASTHMATE.

JOANNE DAVIDSON Auctore.

QUO magis insigne sit munus cujusque partis corporis humani, eo magis morbi ejus curam medicorum postulant. Hac ratione, clare constat pulmonum vitia quam maxime spectanda esse. Namque respiratio functio est ad vitam tam necessaria ut recte *vitalis* dicatur. Actione ejus enim per tempus valde breve intermissa, alia organa maxime utilia munera propria perficere

 nequeunt;



nequeunt; nexus ille intimus, etiamsi incognitus, inter animam et corpus solvitur: hoc in pulverem, ex quo ortum est, revertitur; et illa ad Deum qui dedit.

Quidam ex Pulmonum morbis sunt maxime periculosi qui genus humanum affligunt, omnesque medicinæ conatus frustrantes, vel citam vel tardam mortem afferunt.

Morbus de quo in hoc tentamine inaugurali agitur, quamvis haud sæpe protinus lethalis, certe ægrum sævissime vexat. Nonnunquam enim, dum absit paroxysmus, ineptum reddit ad obeunda officia, aut amœnitates vitæ fruendas; et dum sæviat, anxietatem pene intolerabilem et metum suffocationis instantis infert.

Amicorum commiserantium blanditiæ molles, quæ in aliis plurimis morbis ægri dolores fere compensant, dum asthmatis paroxysmus adest, non solum nihil ad levamen adhibendum valent, sed sæpissime ad ægrum lacessandum et vexandum tantum inserviunt.

Auctori tentaminis hujus multo foret gaudio, si, pathologiam hujus morbi colendo, indeque rationem medendi certiorem et feliciorem deducendo,

cendo, mala miseri asthmatici levare aut mulcere poterit.

Quum autem non scribit, nisi ut jussis Almæ Matris in candidatis pro summis in medicina honoribus promovendis obtemperet, habuitque occasiones perpaucas morbi, de quo quæsiturus, videndi, necesse est, ut laboribus et observationibus aliorum uteretur. Et audax videretur arbitrari, se ope historiarum scriptarum causas morbi posse invenire, quæ cognitionem eorum quibus asthmatici ante oculos versabantur, omnino evaserant. Nam morborum scientia, historiis fidelissime narratis legendis, vel etiam opera prælectionibus Professorum danda, acquisita, multo minus utilis est illa quam experiendo discimus.

Mens enim scriptoris vel ingenuissimi plerumque aliqua hypothesi sibi grata adeo impellitur, ut, dum symptomata, quæ opinioni suæ faveant, facile notat, et nonnunquam fortasse se signa videre, quæ quidem non adsint, censet ; interdum alia symptomata, ad verum morbi conspectum æque necessaria, omnino prætereat.

Auctor

Auctor his incommodis obnoxius, quæ autem sibi persuasum est satis perpensum iri viris eruditis quorum examini subjiciendum est hoc tentamen, ad rem propositam explorandam pergit.

MORBI HISTORIA.

Nomen Asthma ab ασθμαινειν, id est, anhelare vel ægre respirare, derivatur. Olim a medicis usurpabatur suspiria designare omnigena. At si inter vulgum hoc nomen adhuc æque infinitum sit, tamen a plurimis nosologis hodiernis ad speciem singularem anhelationis, subinde adorientem, restrictum est.

Hac significatione, clarissimus Cullenus Asthmate utitur; atque morbum verbis sequentibus bene describit: "Spirandi difficultas, per "intervalla subiens, cum angustiæ in pectore "sensu, et respiratione cum sibilo strepente; "tussis sub initio paroxysmi difficilis vel nulla, "versus finem libera cum sputo muci sæpe copioso."

Dyspepsia

Dyspepsia impetum asthmatis sæpissime, si non semper, prægreditur. Severitas autem pravæ concoctionis symptomatum necnon temporis spatium per quod duraverint antequam asthma sese ostenderit, diversis hominibus valde discrepant. Hoc tamen fere semper accidit, ut sub hujus morbi accessum, omnia dyspepsiæ symptomata multum exacerbentur.

Monita, quæ asthmatis paroxysmum denotant imminentem, quæque homini, qui diu hoc morbo laboravit, impetus instantis indicationem præbent certam, hujusmodi sunt: Plenitudinis tensionisque circa scrobiculum cordis sensus;—inflatio ventriculi;—ructus fluidi, nunc insulsi, nunc acidi;—capitis dolor, ejus generis quod sæpissime vias primas gravatas esse indicat;—partium extremarum algor;—somnolentia.

Dolor capitis, aliaque omnia symptomata, nocte appetente, ingravescunt, atque hæc multa animi anxietas et morositas comitantur. In nonnullis tamen mens magis solito vigere videtur. Hoc tempore urina pallida, sæpe magna copia redditur, sed nonnunquam parcior est, et coloris rubicundi. Interdum sunt formicatio, et calor aurium

aurium et tegumentorum colli et pectoris. Intestina more insolito commoventur.

Si, quum res ita se habent, æger se in lectum receperit, sub mediam noctem, vel ut plerumque fit, circiter horam secundam, ex somno subito excitatur sensu suffocationis horribili depressus. Statim, quasi instinctu, ad positionem corporis erectam refugit, cœlumque appetit apertum. Quidam tamen asthmatici minus ægre respirare possunt corpore supino quam erecto. Respiratio non sine magno musculorum conatu perficitur; sed quamvis omnes musculi qui respirationi auxilium afferunt officiis suis multa vi fungantur, nihilominus spiritus nunquam in pectus ingreditur imum.

Thorax sensu colligationis vel angustiæ opprimitur. Respiratio fit cum strepitu sibilo et tussi exigua.

Magnum discrimen, quoad arteriarum pulsuum statum, in ægris diversis observatur. Plerumque non multum turbantur; interdum autem paululum concitantur; aliasque cor inordinate micat.

Vultus

Vultus nunc pallidus est et contractus, nunc tumidus et colore livido suffusus.

Os vel late aperitur, vel tanquam ad sugendum componitur. Nasi alæ levantur, ut spiritus ingressus quam minime impediatur. Haud raro, postquam æger e lecto surrexerit, fit alvi dejectio liquida, et, si valde sæviat paroxysmus, vomitus liquoris biliosi.

Quum hæ symptomata per quasdam horas permanserint, aliquid levaminis fit ægro. Spiritus minus laboriose ducitur. Inspirationes longiores plenioresque evadunt; adhuc tamen strepitus sibilus expirationes comitatur. Muci pauxillum subinde ex pectore excernitur, quod solatium affert haud parvum. Pulsus tardiores et pleniores notantur.

Irritatione et anxietate imminutis, somnus ægro, prægressis laboribus fesso, plerumque obrepit.

Die secundo, exscreatio fit facilior, quam anhelatio comitatur diminuta. Etiamnum tamen hoc signum ad gradum atrocem adfertur, labore tenui vel aliqua mentis agitatione subitanea.

Tempore

Tempore pomeridiano tanta est remissio, ut æger, nisi morbum sæpe expertus est, persuasum habeat paroxysmum abiisse; vesperis autem reditus monstrat suæ spei vanitatem, subeundaque iterum mala supra descripta. Accessio tamen secunda non adeo sævit quam prima, necnon remissione magis integra excipitur. Mucus copiosus exscreatur.

Asthmatis paroxysmus nullum certum finem habet. Sæpius tamen post tres accessiones nocturnas omnino terminat. Sed quamvis hoc fit in plurimis exemplis, nonnunquam observatur, quum anhelatio per horam permanserit, paroxysmum in totum se proripere.

Corporis superficies extremaque sæpius frigescunt, et in iis quoque exemplis quibus ægri se nimio calore opprimi conquesti sunt, tubus thermometricus, cuti applicatus, nunquam caloris incrementum indicavit, ut e periculis Doctoris Bree satis manifestum est.

Quidam auctores sitim intolerabilem asthmatis symptoma ponunt; sed hæc raro adest, nisi paroxysmus a ventriculo sordibus gravato citus fuerit.

Per

Per totum paroxysmum mens ægri valde irritabilis perstat, minus autem quam sub ejus adventum.

Paroxysmi declinatio expectoratione libera et copiosa notatur: Urina simul parcior redditur, exhibetque dotes naturales, sæpe sedimentum demittit.

Paroxysmi finito, æger sæpissime restauratur in valetudinem solitam et mentis et corporis, neque anhelatione omnino vexatur. Haud raro autem fit, præsertim in senibus, qui per plurimos annos asthmate laborarunt, ut plus minus dyspnϾ per totum intervallum permaneat. Et asthmatici fere omnes, vel dum absit paroxysmus, symptomatibus malæ concoctionis vexantur.

Paroxysmi intervalla diversis exemplis multum inter se differunt. Sæpissime nullum certum observatur, morbusque revertitur, quandocunque ægro causa excitans adhibeatur. Contra, exempla haud pauca a Heberden aliisque memoriæ tradita sunt, quibus paroxysmus, temporibus statutis, redivit, sine causa manifesta. Huc spectant verba Heberden: "Interdum septimo quoque die spiritus difficilis factus

 est,

est, interdum semel in mense vel quater in anno, vel vere, et autumno quotannis: hinc sæpissime omni hyeme, vel etiam altero quoque anno, et memini unum ægrotum, qui ex intervallis septem annorum sexies laboraverat hoc morbo."

DIAGNOSIS.

Asthma fere semper ab aliis respirationis morbis facillime distingui potest.

A Dyspnœa dignoscitur, quia hic morbus per longum tempus durat sine remissione notabili; asthma autem "per intervalla subit," atque sensus angustiæ vel constrictionis paroxysmum asthmaticum comitatur, qui nulli alii anhelationis speciei adest. Sub paroxysmi asthmatis initio vix adest tussis, vel saltem valde exigua; tussis autem, cum muci exscreatione plus minusve copiosa, per totum dyspnœæ decursum urget.

Dyspnœa sæpissime sequitur phlegmasias thoracicas. Asthma haud minus crebro sine causa manifesta oritur.

Quidam

Quidam morbi cordis, vasorumque magnorum vicinorum, dyspnœam maxime terribilem excitant; in his autem suspirium plerumque perpetuum est, vel parva exercitatione inducitur. In asthmatis paroxysmo pulsus arteriarum haud multum afficiuntur: in morbis cordis tamen pulsus plerumque valde notablis est, et hæc actio cordis inordinata manet, dum dyspnœa remittitur.

Sed haud improbabile est, cordis morbos asthma vero spasmodicum concitare posse, ubi pulmones ipsi in hoc malum proclives sunt.

PROGNOSIS.

Quanquam paroxysmus asthmaticus formam induit terribilem periculoque gravidam, hoc longo usu compertum est, ægrum vero plurimis temporibus convaluisse. Casus autem aliqui relati sunt, qui exitum infelicem habebant.

Doctor Bree lapicidam commemorat, qui per multos annos asthmate laboraverat, et humido objectus, subivit paroxysmum, quo adhuc premente, excessit e vita.

Casus

Casus autem infra narratus, qui Domino Baynton, Bristoliensi, occurit, ægros etiam ab asthmate gravissimo in valetudinem reduci posse, monstrat. Fœmina asthmate affecta est, et paroxysmus adeo sæviebat, ut sensus fere omnino perditi essent, vultus lividus, extremaque corporis algida, necnon actio cordis ita diminuta, ut pulsus explorari non possent in carpo, vix quidem in latere sinistro. Magna vis muci ex ore et naribus effluebat, sine nisu conspicuo. Per duas horas ad hunc modum ægrotabat; nihilominus eodem fere die ad valetudinem pristinam redacta est.

Quum impotentia ægri multa sit, anhelitusque creber, cum pulsu arteriarum debili aut intermittenti, vultu livido, seroque ex ore præter voluntatem effluente, tunc miserum exitum formidare oportet.

Quum diu perduraverint asthma haud raro morbos organicos in pulmonibus visceribusque aliis concitat.

Læsio cordis organica ægri aliquando dolores morte eripuit.

Quo magis causa sit medico ut cordis morbum

habeat

habeat suspectum, quasi asthma excitantem, vel ab eo egredientem, eo in angusto magis spes est. Mente autem habendum est, morbos qui primas vias afficiunt, quique videntur quasi asthmatis comites necessarii, actionem cordis enormem interdum promovere.

In asthmate jam longum tempus perdurante, quum hydrothorax, ascites, vel anasarca apparet, ægrum in maximo jam periculo judicemus. In multis asthmaticis per vitam totam morbus instat; si autem æger juvenis sit, accessusque morbi nec crebri nec graves, ac omnis suspicio, quod viscera lædantur, amota sit, sanitas perfecta expectanda est.

SECTIO CADAVERIS.

Asthma nullo morbo complicatum tam rarissime inter paroxysmum exitium ægro attulit, ut occasiones perpaucæ morbi sectione cadaveris investigandi, sese ostenderint. Illustris Morgagni tamen historias plurium anhelationis exemplorum tradidit, in quibus vesiculæ aëris pulmonum liquore spumanti impletæ fuerunt.

Inter

Inter alia de fœmina loquitur, quæ ex frigore male affecta, morbo lethali correpta est, cujus respiratio ægra symptoma erat præcipuum. Paulo ante mortem, liquor sero similis, ex ore effluxit, necnon, cadavere inciso, viscera abdominalia uterusque morbida inventa sunt. Pulmones etiam eodem liquore, qui ex ore ejectus fuerat, distenti erant.

Pulmones lapicidæ, supra dicti, qui in paroxysmo obiit, eadem fere signa præbebant, sed mucus vesiculas aëris illinens dicitur subniger fuisse. Omnia alia viscera thoracis et abdominis prorsus sana erant. Vasa cerebri plus solito sanguine turgebant.

Cadavera eorum qui per longum tempus asthmate laboraverint, læsiones organicas cordis aliorumque viscerum sæpissime ostendunt.


Interdum pleuræ, nempe costalis et pulmonalis, inter se adhærent, veluti post inflammationem. Interdum concretiones vel glandulæ induratæ in bronchiis notantur.

Nonnunquam inveniuntur mala ventriculi, hepatis, cæterorumque abdominis organorum.

FLOYER

Floyer de quodam loquitur, qui quum diu asthmate laboravisset, morte subitanea correptus est. Post mortem, pulmones omnis morbi manifesti prorsus expertes apparuerunt. Calvaria autem aperta, ventriculi cerebri liquore repleti inventi sunt.

Quuum, ut haud raro accidit, asthma in alios morbos, phthisin scilicet, hydrothoracem, vel anasarcam, desiverit, signa propria horum morborum, secto cadavere, deteguntur.



DE CAUSIS ASTHMATIS REMOTIS, ET PRIMO DE EIS QUÆ AD MORBUM PRÆDISPONUNT.

Nec ætas nec sexus omnino asthmatis immunis est, etsi rarissime ante pubertatem oritur, et sæpe morbus est provectæ ætatis. Aiunt quoque, fœminas minus frequenter anhelare, quam viros. Ad hanc rem autem explicandam, non opus est credere constitutionem virilem ad hunc morbum procliviorem, quam, fœmineam.

Namque

Namque viri officia eum certe obnoxium reddunt plurimis morbi causis excitantibus, quibus fœminæ fere prorsus immunes sunt. Ex altera parte munera domestica, curæ gratæ, et labores molles plurium fœminarum, etsi ad vitam fruendam perquam necessaria, multo minorem vim musculorum postulant ; et fœminæ rarius quam viri tentantur cœli alternationibus subitaneis, causis tam frequentibus asthmatis aliorumque pulmonis morborum.

Non dubitare potest, quin status pulmonum congenitus quosdam in asthma procliviores reddit.

Quæ sit hæc proclivitas adhuc mortalibus latet, sed sæpe a parentibus in liberos transmittitur, indeque hæreditaria dicitur. Sed in illis etiam, quibus adsit hæc proclivitas, morbus raro sese ostendit, donec homo ætate processerit. In quibusdam vero ob casus fortuitos ne per totam vitam quidem apparuerit ; nihilominus parens, asthmaticis ortus, qui per totam vitam asthmatis immunis fuerit, liberos procreat huic morbo subjectos.

Pulmonum

Pulmonum vitia inflammatoria interdum fortasse ad asthma propensionem inducant, vel saltem proclivitatem congenitam confirment. Sæquelæ tamen frequentiores harum phlegmasiarum sunt anhelationes continuæ.

Illi, quibus thorax male conformatus est, variis morbis pulmonum procul dubio obnoxii sunt. Fere semper dyspnœa cruciantur; interdum etiam asthmatici sunt, sed an hoc fit, nisi in pulmonibus ipsis ad asthma propensis, haud facile detegendum.

Asthmatici, quibus spina incurvata est, vel thorax quovis alio modo deformatus, quamvis intermissiones paroxysmorum habent vix unquam, omnino anhelationis expertes sunt.

Novi familiam, cujus unus phthisi mortuus est, altera asthmatica est, tertiaque signa scrofulæ manifesta edit.

Asthmatici inter omnia temperamenta inveniuntur; cholerici autem sæpius hoc morbo affligi dicuntur.

Hæc de causis prædisponentibus; nunc ad ea, quæ paroxysmum concitant progrediemur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Causæ, quæ asthmatis paroxysmum inducunt, sunt valde numerosæ. Multum inter se differunt, necnon asthmaticos diversos modis maxime dissimilibus afficiunt. Alter enim asthmaticus sæpe vix respirare potest, sine morbo excitato, aëra, qui altero omnino conveniat.

Ut omnes qui morbis pulmonum laborant, etiam fere omnes invalidi, plus minus afficiuntur cœli mutationibus, sic inter asthmaticos hoc maxime cernimus.

Ex his omnibus mutationibus crassitudo aëris imminuta videtur, plerumque asthmatico potissime nocere. Imo dicitur, cæteris paribus, dum hæc talis est, ut columnam hydrargyri triginta digitos altam sustinere possit, hoc ad morbi intermissionem conservandam sufficere *.

Satis cognitum est, paroxysmum sæpissime sub

* Bree, p. 158.

sub nivis vel pluviæ accessum subire, quibus, temporibus aër semper plus minus extenuatus est.

Tempestatis etiam nebulosæ, asthmaticis tam inimicæ, effectus, aliquæ ex parte aëris tenuitati ascribendus est, etsi humiditas ipsa hunc maxime augeat. Asthmatici plerumque morbi maxime expertes sunt, dum situs humiles incolunt; vix autem in regiones altas ascendunt, quin paroxysmus concitetur. Sic Doctor Bree nos admonuit, se per multos annos, ne per diem quidem in solo natali, regione scilicet alta, in comitatu Warwici, manere potuisse, sine impetu asthmatis. De effectibus molestis magnæ altitudinis petendæ, in pulmones non omnino asthmaticos, neque quovis alio morbo affectos, a peregrinatoribus aëronautisque monemur.

Humiditas aëris, præsertim cum aliis causis excitantibus conjuncta, sæpe paroxysmum arcessit.

Floyer credidit, aëra extenuatum asthmaticis nocere, quia hoc tempore miasmata quæ in atmosphæra densa in alto cœlo suspenduntur, prope

prope terram innatant, et forsitan hoc modo partim agant.

Satis tamen nobis cognitum est, ipsam aëris tenuitatem maxime respirationi noxiam esse; dum plurimi asthmatici impune respirant atmosphæram oppidorum magnorum vel etiam regionum paludosarum, veluti Hollandiæ.

Et calor et frigus apud causas excitantes potentiores habentur. Alii scriptores dicunt, morbum valde frequentiorem esse tempestate fervida æstatis, quam tempore pruinoso hyemis. Alii autem testantur morbum maxime hyeme valere; sic clarissimus WILLIS dicit, asthmaticos melius in æstate, quam in hyeme degere. Ex hoc probabile est, morbum fere æque valere omnibus anni temporibus.

In quibusdam asthmaticis certe paroxysmus vix excitatur, nisi nimio calore; in aliis frigus paroxysmi causa est frequentior, si non sola; in nonnullis autem tam frigus quam calor auctus morbum arcessit *, hique miseri nec hyeme nec æstate morbo liberantur.

In

* CULLEN'S "First Lines."

In quodam asthmati proclivi, novi exercitationem gravem sub Jove frigido dyspnœam vehementem induxisse, quæ autem, exercitatione remota, fere statim abivit, tusse cum muci exscreatione superveniente. Balnei calidi in paroxysmo inducendo effectus calori præcipue ascribendi sunt, quamvis haud improbabile est vaporem aquosum inhalatum interdum aliquid efficere.

Nescio an balneum frigidum paroxysmum unquam excitaverit.

Optime sciunt fere omnes in his regionibus asthmatici, certos ventos, præsertim Eurum Cæciamque, paroxysmum arcessere. Notus etiam, fere semper humidus et tenuis, asthmatico inimicus est.

Fumi et pulveres plurimi inter causas paroxysmi excitantes sunt recensendi. Metallorum fumi interdum asthma excitasse dicuntur. Novi autem asthmaticum vix e paroxysmo ereptum, aëra, in quo aliquantulum arsenici suspensum erat, sine damno respirasse.

Alii asthmatici vix aut ne vix respirare possunt aëra oppidorum, quæ sæpissime fumo, aliisque

que miasmatibus, involuta sunt. Alii contra minus ægre in oppidis quam rure vitam agunt.

Vide exemplum impunitatis, qua alii asthmate laborantes fumum inhalare possint, a Doctore PERCIVAL narrato, in libro suo eximio de officiis medicorum.

Fumus Nicotiani tabaci dicitur nonnunquam morbum civisse *.

Sic etiam gas acidum carbonicum, quod nullum animal sine maximo periculo respirare potest, asthmatico sæpe morbi impetum attulit. Pulvis, qui ad crinem aspergendum usurpatur, et fere omnes pulveres subtiles, subinde paroxysmum excitaverunt.

Asthmaticum novi cui pulvis ipecacuanhæ maxime noxius est.

Odores omnes, vel fragrantes vel fœtidi, huic vel illi asthmatico nocent.

Nimium exercitationis, omniaque actionem cordis et pulmonum excitantia, impetum asthmatis concitare possunt. Hoc præcipue fit, quum adest cordis morbus.

Eodem

* Vide FLOYER. p. 60.

Eodem modo fortasse agunt quædam pathemata mentis, ira scilicet, lætitia, terrorve subitus.

Asthmatici haud sine periculo voluptatibus venereis nimis indulgere possunt.

Parum constat, utrum tempestatis mutationes, an quæ ventriculum turbant, causæ paroxysmi frequentiores sint. Hoc tamen certum est, asthmaticum omni cibi vel potus intemperantia male affectum esse. Omnia quæ ægre concoquuntur, vel quæ multum flatus evolvunt, ad asthma excitandum apta sunt; quales sunt cibi conditi, liquores fermentati, fructus et herbæ, quæ pronæ sunt ad fermentationem acidam subeundam. Abstinentia a cibo et potu dicitur interdum paroxysmum induxisse. Necnon vomitus purgatioque violenta causæ excitantes habentur.

RATIO

RATIO MEDENDI.

In asthmate, sicut in omni morbo qui ex paroxysmis et remissionibus constat, curationis divisio plane naturalis sese offert, nempe, in remedia quæ inter paroxysmum, et quæ dum intermittitur, usurpanda sunt.

Doctor Bree, de asthmate scribens, his verbis utitur:—" The cure of convulsive asthma can " only be attempted with a prospect of success, " during the intervals of the fits. But the di- " stress of the paroxysm may be frequently al- " leviated; and whoever has experienced its " agony will allow the value of the smallest " improvement in treating it."

Ob inscientiam nostram de natura asthmatis mihi videtur, veras indicationes esse,—Causas excitantes, si apparent, amovere; et,—Auferre symptomata quæ ægrum maxime opprimunt; sed pars maxima medendi rationis ex usu remediorum constat, quæ, quamvis olim a medicis e notitia supposita causæ morbi proximæ usurpata fuerint, nunc temporis in usu retinentur, quia cognita

cognita sunt indicationi præcipuæ respondere, nempe morbum depellere.

Remedia quæ paroxysmo sæpissime adhibentur, sunt Emetica, Cathartica, Venæsectio, Narcotica, Expectorantia, Diaphoretica, Diuretica, Epispastica.

Emetica.—Actio emeticorum lenium sæpe effectus quam optimos attulit, præcipue paroxysmo ineunte. Exempla relata sunt, in quibus usus emetici tempestivus paroxysmum prævertit, postquam æger primis illis symptomatibus, tam bene cognitis asthmate laborantibus, accessum senserat.

Vix mentionem postulat, emetica potissime indicata esse in exemplis in quibus symptomata dyspeptica maxime urgent; ubi paroxysmus excitatus fuisse aliqua cibi vel potus intemperantia, et ventriculus alimento non concocto gravatus esse, videtur.

In memoria tamen tenendum est, exempla tradita fuisse in quibus vomitus pessimos effectus induxit. Doctor Bree narrat, se grana quinque antimonii tartratis paroxysmo jam incepto sumpsisse, additque, "After violent evacuations upwards and downwards, with great

 "present

" present distress, the paroxysm was lengthen-
" ed by several exacerbations more than I had
" before sustained. Greater weakness in the
" intermission, and night sweats, were the con-
" sequence of this treatment."

Quando per aliquod temporis paroxysmus perstiterit, et vesiculæ pulmonum sero expletæ fuerint, quomodo adjuvent vomitoria, difficile est conceptu.

In hoc equidem paroxysmi stadio, si vomitus ingens excitetur, periculo haud omnino immunis erit.

FLOYER censet scillam esse emeticum in asthmatis paroxysmo optimum; vomitumque violentum reprobat, quippe asthmatico noxium.

Insuper viribus scillæ emeticis, urina et exscreatio illa moventur.

Dicitur remedia emetica, ut nauseam excitent adhibita, in paroxysmo utilia esse. Emetica, hac ratione sumpta, resolventia vel antispasmodica potissima fiunt.

Cathartica.—CELSUS, quum de asthmatis remediis loquitur, his verbis de purgantibus utitur:

tur:—" Liquanda alvus, interdum ducenda, " quibus extenuatum corpus incipit spiritum " trahere commodius."

Quando accessum magna primarum viarum perturbatio aut præcedit aut comitatur, certe auxilium est in alvi solutione vel ductione.

Exempla etiam nonnulla relata sunt in quibus purgantia, sub initio paroxysmi sumpta, huic venienti occurrerunt. Medicamenta fere omnia purgantia a medicis antiquioribus in asthmate usurpata sunt.

Nunc autem temporis, hæc vix aut ne vix quidem in asthmate adhibentur. Hydrargyri submurias, cum antimonii tartrate, utilissima est ad alvum solvendam. Hujus actio augeatur ope enematum catharticorum. Sulphur multum usurpatum fuit in asthmate, aliisque pulmonum morbis sine inflammatione acuta, quia non solum alvum leniter purgat, sed etiam vim habet diaphoreseos movendæ.

Venæsectio.—Medici multum inter se dissentiunt de utilitate venæsectionis, in paroxysmo asthmatico.

Hoc

Hoc remedium a medicis antiquioribus frequentissime usurpatum fuisse videtur, raro autem nostro tempore in hoc morbo adhibetur.

Multa symptomata in asthmatis paroxysmo sunt, quæ bonos effectus a sanguinis missione nos expectare inducerent;—Dilatatio scilicet thoracis difficilis, anxietas maxima, a sanguinis in corde dextro congestu, orta, circuitus sanguinis oppressus, somnolentia facieique suffusio, quæ sæpissime adsunt.

Ad hæc symptomata sublevanda, si modo citissime in accessu occurrerint, venæsectio magnopere valet. Ast ubi per tempus aliquod institerit paroxysmus, si vires ægri fere exhaustæ sint, præsertim si inceperit muci exscreatio, quæ ipsa semper ægro solatium præbet, sanguinis detractio semper prohibenda est: Paroxysmum enim protrahit, expectoratione tardanda, atque remissio haud tam perfecta est, quam si omissa fuerat venæsectio; ægro majore dyspnœa postera die vexato.

Praxis hæc senibus præsertim funesta.

Narcotica.

Narcotica.—Nulla quidem remedia in hoc morbo plus eminent quam narcotica. Cum autem non evincitur quæ symptomata usum eorum exigant aut inhibeant, multum inter se distant effectus. Levamen scilicet nunc maximum, nunc contra minimum reddunt, neque desunt exempla in quibus non parvam injuriam proferebant, quippe paroxysmus in longum eductus est.

Sunt multa hujus generis medicamenta quæ in asthmate adhibita sunt, sed utilissima, et nunc temporis maxime probata, sunt opium et æther, seu seorsum seu conjunctim sumpta. Mistura tinct. opii semunciæ, cum ætheris sulphurici sescuncia, maxime laudatur a Doctore Gregory, in prælectionibus suis, ob ejus in paroxysmo asthmatico effectus. Cochlearia duo pro dosi adhibeantur.

Ineunte paroxysmo, æque ac alia antispasmodica, opium utendum est; diu autem jam durante prohibendum est, præsertim si pulmones liquore effuso opprimantur, quo tempore, si adhibitum sit, paroxysmus producitur, quia forsitan sensu partium humorem attingentium imminuto

minuto, et actio sympathetica tussis indeque exscreatio impediuntur. Ut exemplum effectuum malorum, qui aliquando ab antispasmodicis nascuntur, casus ipsius Doctoris Bree haud inepte citetur.

Quum stomachus flatu distenditur, ad eum ejiciendum, optime valet mistura supra dicta opii cum æthere. At si oneratæ sint primæ viæ cibo indigesto, paulum prosunt antispasmodica, et præ aliis gummi fœtida sæpe nocent, propterea quod concoctionis organa perturbant.

Vaporis ætheris, vapore aquoso diluti, inductio, sæpe in asthmate adhibita est cum effectibus jucundis; nonnunquam autem symptomata ab ea augeantur. Alii vaporem e conii infuso calido laudant; alii nocere judicant remedia omnia inhalata cum aquæ vapore conjuncta, quum paroxysmus interdum aëre simul calido et humido excitatur. At sive calor et humiditas atmosphæræ asthma excitent, sive non excitent, hoc certum est, vaporem, nempe, ex aqua fervida inhalatum, interdum asthmatico multum levaminis attulisse.

Sunt

Sunt etiam quædam herbæ narcoticæ, quarum fumus, ex tubo exhaustus, multum quibusdam asthmaticis profuit. Harum usitatissimæ sunt Tabacum et Stramonium. Hujus radix usurpatur, illius folia.

Quamvis, ut antea dictum, inhalatio fumi tabaci inter causas asthmatis excitantes recensenda est, nihilominus haud raro auxilium affert. Certior factus sum a medico, qui paroxysmis frequenter cruciatur asthmaticis, se subitaneum invenisse levamen quum conclave introiverit fumi tabaci expletum. Duas novi asthmaticas, quæ solatium citissime obtinent, si sub paroxysmi initio fumum stramonii tubo exhauriunt. His inductio fumi non omnino obest.

Quum aëris vesiculæ liquore effuso obstruuntur, non expectandum est, fumi inductionem auxilium ægro allaturum esse. Oxygenium a quibusdam medicis multum laudatum est; effectus autem hujus aliorumque gasium nondum satis constant.

Expectorantia.

Expectorantia.—Muci expectoratio tantum auxilii ægro semper affert, ut remedia quæ hanc movere censentur sæpissime in paroxysmo adhibeantur.

Ex his scilla martima fortasse utilissima. Sub initio paroxysmi adhibere oportet, et si talibus dosibus sumpta sit, quales nauseam excitent, muci exscreatio liberior et copiosa fit, et spiritus minus ægre trahitur. Necesse est autem præcavere ne sub usu scillæ excitetur diarrhœa, quæ semper asthmatico nocet.

Acetum scillæ a FLOYERO multum commendatur.

Ammoniacum et assafœtida exscreationem muci augent, et interdum in asthmate usurpantur. Decoctum senegæ, etiam multum asthmati profuisse dicitur, præsertim in senibus *.

Diaphoretica.—Remedia quæ sudorem movent asthmaticis nocere dicuntur; quæ autem diaphoresin exiguam concitant, utilia sunt. Hujusmodi fere omnes sales medii.

Diuretica.

* Vide BREE, p. 49.

Diuretica.—Medici forsitan remediis diureticis in paroxysmo asthmatico uti instigati sunt, ex opinione secretionem urinæ auctam naturæ conatum esse ad morbum solvendum.

Quidam de asthmate scriptores, urinam moventia in hoc morbo maxime laudaverunt. A quodam etiam dicitur, morbum solutum fuisse postquam triginta septem urinæ libræ rapide effluxerant *. Ob effectus diureticorum tam utiles habitos, anasarcam sæpe asthmatis causam esse, suggestum est.

Effectus autem diureticorum in asthmate felices certe non frequentissimi sunt, atque quidam scriptores testantur se nunquam vidisse paroxysmum his remediis decurtatum.

Exempla relata sunt in quibus digitalis maxime profuisse videtur: dubitandum est, autem, an in his morbus asthma spasmodicum fuisset, nec vero dyspnœa, a statu corporis hydropico, orta.

Aliquando, postquam accessus vehementia cesserit, dyspnœa molesta manebit, secretione quoque urinæ imminuta. Tunc quandam ob-

E structionem

* Rhodius, Obs. Med. lib. iii. Obs. 27.

structionem nonnullius visceris suspectam habeamus. Hydrargyrum, cum scilla aut alio diuretico conjunctum, adhibendum est.

Epispastica.—Vesicantia sæpe in paroxysmo usurpata sunt, sed certe rarissime utilia, et nonnunquam nocentia fuere.

Dr GREGORY, se asthmatis paroxysmum ex applicatione vesicantium auctum, et, nisi fallor, morbum inductum vidisse dicit, quum in catarrho emplastrum vesicatorium sterno applicatum fuisset. In uno tantum homine hanc praxin, sed certe sine aliquo levamine, adhibitum vidi.

Multa alia medicamenta, instante paroxysmo, usurpata fuerunt ; ea autem, de quibus supra diximus, usitatissima sunt.

Galvanismus.—Electricitas, vel potius galvanismus, maxime utilis fuisse videtur in dyspnœa continua, testante Doctore PHILIP, Vigorniense. De ejus autem utilitate in asthmate spasmodico, morbo de quo agitur, parum constat. In fœminam, hoc morbo laborantem, Doctor PHILIP galvanismum adhibuit. Medico ipsi vix aut ne

vix

vix quidem utilis fuisse videbatur, quamvis asthmatica paroxysmum minus atrocem, quam aliis temporibus, judicavit.

RATIO MEDENDI INTER REMISSIONEM.

Sententia est fere universa, et quidem ex longa observatione deducta, asthmaticos raro prorsus sanari, et morbum per totam vitam subinde reverti.

Sed quamvis sæpissime confirmata sit hæc sententia, hoc non dubitari potest, intermissiones, laboribus sociatis et ægri et medici, in longum protrahi posse. Exempla etiam relata sunt, in quibus ægri quidem omnino convaluerunt.

Quoad inter paroxysmos medendi rationem, manifestum est, multum ex ipso ægro pendere. Quamvis enim quædam medicamenta hoc tempore valde utilia sint, magni momenti est, ægrum omnes causas, excitantes quam maxime evitare. Quum enim paroxysmus sæpe iteratus proclivitatem in morbum augere solet, satis manifestum

manifestum est, spem exitus felicis valde affici studio quo æger omnia lædentia evitat.

Quum aër oppidorum asthmatico inimicus est, si fieri possit, in rus secedere oportet.

Quum contra, ut nonnunquam fit, æger magis rure quam in urbe morbo opprimitur, vita urbana sequenda est. Plurimi et fortasse omnes asthmatici, in regionibus altis morbo maxime cruciantur, quæ igitur vitandæ sunt. Si causa sit suspicionis habendæ ægri occupationem, eum causis morbum excitantibus maxime exponere, medici est mutationem proponere.

Magis tamen necessarium est, ægrum omnem cibi potusve intemperantiam fugere, quoniam hæc tam frequentissime paroxysmum inducit.

Cibaria quæ facile concoquuntur asthmaticis optime conveniunt, omniaque multo sale contincta, et vegetabilia, quæ rapide in fermentationem abeunt et flatum inducunt, nocentia sunt, hinc evitanda. Sic etiam liquores omnes fermentati, qui magnam aëris quantitatem continent, atque potentiæ ventriculi coquenti injuriam afferunt.

Cibus autem et potus asthmaticorum, paulo aromatici et stomachici esse debent.

Aqua

Aqua acido sulphurico vel aceto acidula reddita, et infusum vel zingiberis, vel aurantii, vel coffææ, pro potu ordinario adhibere possint. Infusum coffææ forte quidem dicitur valuisse etiam inter asthmatis paroxysmum. Præter hæc remedia diætetica sunt quædam e materia medica, quæ multum inter remissionem prosunt. Asthmatici sæpissime dyspeptici sunt; et remedia quæ in dyspepsia valent, in asthmate etiam usurpanda sunt. Remedia purgantia non sine multa cura in asthmate adhibenda; fortiora enim, sive primis viis irritandis, sive alio quovis modo, interdum paroxysmum induxerunt; leniora autem cum effectibus quam optimis pro re nata usurpantur. Alvus bene solvatur rheo, quod simul et purgans et tonicum est. Cum hoc conjungatur magnesia usta, præsertim ubi adsit in intestinis acor vel flatus. Quædam etiam acida, acetum præcipue, utilia sunt ad ventriculi inflationem corrigendam.

Remedia quæ Tonica dicuntur maxime in asthmate utilia sunt; ferri nempe præparata, cinchona, aliaque medicamenta amara, ferri carbonas et sulphas, miro cum successu sæpe usurpantur.

tur. Ut effectus autem felices remediorum roborantium consequamur, assidue adhibenda sunt. Si tamen æger morbo cujusvis visceris laboret, hic primum, si fieri possit, sanetur.

Aquæ medicinales ferrum continentes, aqua nempe Bathonica, Brightoniensis, &c. asthmaticis commodæ sunt.

Quidam medici de usu emeticorum frequente bene locuti sunt, atque haud dubium quum ventriculus multum turbatur, non sine commodo usurpentur, præcipue si causa sit timendi paroxysmum appropinquare. Si autem sæpissime adhibeantur, non possunt ventriculo non nocere.

Medici antiquiores fonticulis multum confidebant, et certe in quibusdam exemplis, præsertim in senibus, utilia sunt.

Gulielmus Tertius, Anglorum Rex, qui asthmaticus erat, dicitur omnino asthmatis expers fuisse, dum humeri vulnere, in pugna ad fluvium Boandæ accepto, laborabat.

Balneum frigidum maxime et merito laudatum est in asthmatis remissione. Si hoc non sine incommodo obtineri potest, lavatio thoracis aqua frigida commendata est.

Exercitatio

Exercitatio violenta semper asthmaticis nocet, et haud raro paroxysmum arcessit; equitatio autem, vel gestatio in curriculo aut nave, aliique motus lenes, commodum maximum habent.

FINIS.